UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Aprilis, Maii & Ivnii

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Clavdii, Archiepiscopi Bisuntini. Ex ea quæ est apud Surium fide bona. Interfuit Synodo Epaune[n]si, cui & subscripsit. Migrauit è corpore an. 4. Childeberti 3 Regis Fra[n]coru[m], qui fuit ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42716

Visual Library

VITA S. CLAVDII, ARCHIEPISCOPI Biſuntini. Ex ea quæ eſt apud Surium fide bona. Interfuit Synodo Epaunēſi, cui & ſubſcripſit. Migrauit è corpore an. 4. Childeberti 3 Regis Frãcorũ, qui fuit Dom. incar. 696. Sergij Papæ 9. Leõtij verò Imp. 3. Fato etenim perfunctus eſt idẽ Childebertus, anno regni ſui 17. qui fuit Chriſti 709.

C Baron. annal to. 8. & in not. martyr Ro.

BEatus Claudius illuſtri Salinenſium ſiue Palatinorum Principum ortus familia, ad annum ætatis ſuæ vſque ſeptimũ, in domo parentũ ſumma cura ac ſtudio in Dei timore nutritus eſt. Indè liberalium artium diſciplinis admotus præclaro dociliq; ingenio, inſignem eruditionem aſſecutus eſt; qua lubricos adoleſcẽtiæ annos tam egregiè moderatus eſt, vt nihil in eo puerile, nihil à ſumma prudentia ac grauitate alienum cerneretur. Inerat ei ſermo ſale ſapientiæ mirè conditus, prorſus vt omnium in ſe ſtudia & affectus prouocaret.

6. Iunii. Familia

Creſcente verò prudentiæ & ſanctitatis eius opinione, cùm iam vigeſimum ætatis attigiſſet annum, contempta militia ſeculari, in Biſuntinæ eccleſiæ Canonicorum collegium ſeſe recepit; vbi in ſanctis operibus, & ſacra doctrina breui temporis ſpacio adeò clarus euaſit, vt in tota Burgundionum ditione parem ſibi non haberet, quemadmodum ex editis ab illo lucubrationibus, quæ hodiè etiamnum in Iurenſi monaſterio aſſeruãtur, facilè perſpici poteſt. Quotidiè demptis Dominicis & ſolénioribus diebus, ieiunabat. Crebrò noctes orãdo, legẽdo meditãdo, peruigil exigebat. Caſtitatis verò propoſitũ & mentis & corporis, præcipuo quodam ſtudio conſeruabat. Denique tanto virtutum ſplẽdore

Fit Canonicus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lucebat,vt cuncti eum propter ſanctitatis ſtudium,tanquam ciuem quendam cæleſtem ſine fine mirarentur.

Interim duodecimo à ſuſcepti canonicatus eius anno, Biſuntinus Antiſtes aduerſa correptus valetudine decedit: & eccleſia ſuo orbata paſtore,in luctu & lachrymis verſatur. Cumque de eligendo paſtore omnes ſoliciti dies noctesque precibus iungerent,eccè vox cælitùs demiſſa,iubet eos omiſſis lachrymis, beatum Claudium creare antiſtitem. Ea voce cuncti mirificè exhilarati, virum ſanctum confeſtim aduocant (receſſerat enim ad parentes vt eam dignitatem, quam ſibi imminere præuidebat,ſubterfugeret) & precibus lachrymisque cogunt,vt orbam paſtore eccleſiam, regendam tuendamque ſuſcipiat. Victus his precibus, ſimulque ne diuinæ reſiſtere voluntati videretur, electioni conſenſit;quam ſummus Pontifex ratam habuit confirmanitque; anno à Chriſto nato, ſexcẽteſimo vigeſimo ſexto.Factus autem Archiepiſcopus eandem quam prius animi humilitatem, ac modeſtiam in omnibus ſeruauit; placideque ſe ad omnes,quæ occurrere poterant moleſtias viriliter ferendas compoſuit:annisque admodum ſeptẽ, cum ſumma ſanctitatis laude, eam dignitatem adminiſtrauit.

Diuinitùs deſignatur Epiſcopus.

Eo temporis ſpatio exacto, diuino eum amore magis ac magis perurgente, omnes mundi opes & pompas adeo faſtidire cœpit vt epiſcopatu ſe abdicauerit, quò poſſet Chriſti ſpiritu ſuauiùs perfrui.Cumque varia cum animo ſuo, de loco vbi Deo famulari poſſet conſilia agitaret, ab Angelo eſt admonitus, vt in S. Eugendi monaſterio, Biſuntinæ diœceſi finitimo, S. Bene-

Relicto epiſcopatu,fit monachus.

Benedicti inſtitutum complecteretur. Eò igitur ſe contulit vir ſanctus, vbi tam præclaro perfectionis & ſanctitatis lumine omnibus præluxit, vt Iniurioſus eius monaſterij tunc Abbas, vir ſanè eximia tum ſanctitate tum prudentia, monaſterium ei regendum obtulerit. Quod quidem vir ſanctus cùm recuſaret modeſtiſſimè & omni via ac modo honores declinaret, poſt annos tamen quinque, Abbati Iniurioſo cum magna meritorum copia ad Dominum migranti, ſuccedere vel inuitus coactus fuit.

Fit Abbas licet inuitus.

Porrò in ea prælatura conſtitutus, breui non ad ſuos tantum, ſed ad exteros ſanctitatis ſuæ radios diffundere cœpit, prorſus vt & intra illa tecta, parietesque, angelorum in humanis corporibus quidam conuictus videretur: & multi omnium ætatum ac ordinum homines, Claudij conſuetudine exempliſq; incitati, ad monaſticæ vitæ diſciplinam confugerent.

Eius preclarũ regimẽ.

Anno autem quarto Childeberti Regis Francorum, cùm iã annis quinquaginta ſeruis Chriſti in hoc monaſterio multa cum laude præfuiſſet, deuexa planè ætate, leni quodam morbo correptus eſt. Indè magno lachrymarum imbre perfuſus præmiſſa confeſſione, cæleſte epulum, vltimum vitæ noſtræ ſolatium recepit, atque ita defixis in cælum luminibus, ſanctiſſimam animam reddidit Creatori. Corpus eius vſque in præſens, in illa S. Eugendi eccleſia, cunctis aduẽtantibus incorruptum, & integrum monſtratur, innumeris miraculis coruſcans.

Moritur.

Claret miraculis poſt obitum.